DE

PHYSIOLOGIA ET PATHOLOGIA
THALAMORUM OPTICORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS
MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE REGIA
FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA
AD
SUMMOS MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT
ET DIE XIII. M. APRIL. A. MDCCCXXXIX
PUBLICE DEFENDET

HENRICUS TIEKMANN
WESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

CHRIST. MUELLER, med. et chir. Dr.
HENR. ULRICH, med. et chir. cand.
ANT. WILLEMS, med. et chir. cand.

BONNAE,
TYPIS CAROLI GEORGII.
MDCCCXXXIX.

Nulla est alia pro certo noscendi via nisi quam plurimas et morborum et dissectionum historias, tum aliorum, tum proprias collectas habere, et inter se comparare.

Morgagni, de sed. et caus. morb. lib. IV. prooem.

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MED. CHIR. PHILOS. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

NEC NON

AMICO CARISSIMO

ANTONIO STRICKER

SACELLANO REVERENDO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Sunt quidem, quibus hoc dissertationum genus displicet atque parum utile videtur, cum in iis modo conditiones pathologicae conscriptae sint; sed hoc iudicium temerarium atque erroneum arbitror, et, ne multis dicam, sufficere puto, si iis oppono illam Morgagni sententiam: „nulla est alia pro certo noscendi (i. e. morbos et functiones) via etc." Nam primum facit ad illustrandam physiologiam, i. e. ad doctrinam de functionibus partium, deinde tribuit ad diagnosin, i. e. ad cognoscendos diversarum par-

tium cerebri morbos. Eandem viam novissimis temporibus viri clarissimi: Burdach, Lallemand, Andral, Bright et alii, ad functiones cerebri partium indagandas ingressi sunt, et multum profecerunt.

QUAEDAM ANATOMICA.

Positus prope cerebri basin, in posteriorem ventriculi lateralis partem utriusque hemisphaerii prominet clivus, superficie ovali atque inaequali, colore albido, cui nomen est thalamus nervi optici, sive colliculus opticus. Quod quidem nomen procul omni dubio inde ortum esse videtur, quod prius nervum opticum ex eo originem ducere plurimi putabant. Recentiore adhuc tempore Soemmerring [1]) et item Burdach [2]) docent, nervum opticum revera provenire ex thalamo; quam sententiam autem refutare studet Gall [3]), affirmans, nervum opticum thalamo quidem arcte adhaerere, sed manu dextra versutaque ab eo usque ad corpora quadrigemina seiungi posse. Penetrat autem uno cursu et illum clivum, et corpus striatum ante illum iacens pedunculus cerebri, ad inferiorem et posteriorem partem huius clivi introiens, ipsis eius fibris ex corporibus pyramidalibus ortum et cursum ducentibus. Censet quoque Autenrieth [4]), thalamos opticos pro intumescentiis pedunculorum cerebri habendos

1) Vom Baue des menschlichen Körpers. 5 Thl. 1. Abthl. Hirn- und Nervenlehre. Frankfurt a. M. 1800. §. 154.

2) Vom Baue und Leben des Gehirns. Bd. 3. Leipz. 1826. §. 959.

3) Unters. über die Anatomie des Nervensystems überhaupt und des Gehirns insbesondere. Paris und Strassburg 1809.

4) Handb. der empir. menschl. Physiologie. Thl. 3. §. 833. Tübingen 1812.

esse. Pone thalamos autem invenis corpora quadrigemina, quorum fibrae, ex corporibus olivaribus provenientes, cum istis thalamorum confunduntur. Ibidem et fasciculi fibrarum nervearum, pedunculi glandulae pinealis dicti, originem ducunt, et convergentes in ipsam glandulam conveniunt. Etsi uterque thalamus commissura molli coniungitur, attamen inter eos spatium vacuum superest, qui ventriculus vocatur tertius. Ad inferiorem partem thalamis arcte adhaerent tuber cinereum atque infundibulum, ad anteriorem et superiorem partem crura fornicis. Thalami maximam partem ex substantia alba consistunt, interne parum substantiae griseae quasi inspersae continente. Quod magnitudinem colliculorum opticorum attinet, Wenzel [5]) invenit, in homine adulto eos longitudinis pollicis unius esse linearumque septem, latitudinis, ubi maxima esset, linearum octo usque novem.

PARS PHYSIOLOGICA.

Soemmerring [1]) cum hanc sibi proposuisset quaestionem:

> „Sunt ne singulis cerebri partibus singulae iisque propriae subeundae functiones?"

sibi id videri respondet, cum singulis quoque aliis corporis humani partibus certas esse functiones posset probari.

Sed quamquam viri doctissimi ab antiquissimis iam temporibus usque ad hunc diem plurimum sudarunt in certis

---

5) De penitiori structura cerebri hominis et brutorum. Tubingae 1812. Tab. I.

1) l. c. §. 154.

singularum cerebri partium functionibus explorandis, tamen hucusque nemini contigit, ut huius rei certam et undique probatam cognitionem sibi pararet atque communicaret. Sententiae enim virorum clarissimorum ita inter se discrepant, ut ab aliis penitus negetur, quod ab aliis contenditur.

Verumtamen ego quidem neque ea sum facultate, ut illam controversiam possim dirimere, neque mihi in animo est, omnes cerebri partes in hoc opusculo tractare; sed id tantum mihi indulgebis, observationes sententiasque auctorum, quae ad thalamorum functiones spectant, investigatas colligere, collectasque, ut decet, modestissime atque observantissime ad diiudicandum proponere.

Soemmerring [2]) observationibus propriis et aliorum innisus contendit, destructione oculorum degenerationem thalamorum in cerebro adduci, neque id ullo modo posse negari; et vice versa, thalamorum degeneratione visum turbari, licet vitae et rationi inde detrimentum non afferetur. Qua ratione mutua inter thalamos et visum perductus porro idem affirmat, thalamos notiones visu perceptas reservare, ideoque thalamos maioris voluminis etiam plures notiones posse suscipere et reservare, quam minoris voluminis.

In eandem fere sententiam init Burdach [3]), siquidem dicit, in thalamis opticis, ut in propria eius sede, facultatem videndi esse sitam, iisque praecipue fieri, ut homini clara rerum externarum cognitio enascatur; quum autem apoplexiae conscientiam delentis causa saepissime in thalamis opticis reperiatur, in iisdem conscientiam originem ducere inde sequi. Quam sententiam ut confirmet multorum auctorum observationes affert, memoratu certe dignas, scilicet destructione vel ulla mutatione alterutrius oculi, qua visus turbetur, thalamum quoque nervi optici plerumque oppositi, rarius eiusdem lateris volumine minui.

---

2) l. c. §. 315, 321, 330.

3) l. c. §. 958, 959.

Sic Otto [4]) refert: saepe, usu oculorum longum per tempus amisso, unum et quidem plerumque lateris oppositi, interdum quoque eiusdem lateris thalamum volumine minutum observari; et testes eius rei affert viros clarissimos Soemmerring [5]), Noethig, Michaëlis, Wenzel, Rudolphi [6]), quorum proximus in nonnullis hominibus, in equo et bove, usu oculorum exstincto, volumen thalamorum diminutum invenit. Otto ipse se bis in homine, usu alterutrius oculi privato, thalamum oppositi lateris atrophicum reperisse dicit. Idem porro memorat, in oculorum morbis thalamos interdum maiores, quam in normali conditione, et quasi tumefactos a Boehmer [7]) et Ford [8]) observatos esse.

Wenzel [9]) de mutatione, quam thalami visu vel prorsus exstincto vel tantum turbato ineunt, ita disserit: primum morbosae affectionis colliculi alicuius optici indicium, sive prima, quae hisce in colliculis, dum laborant, apparere consuevit, mutatio videtur ea esse, quod is planior reddatur, seu depressior, longitudo sero admodum et quam rarissime mutari videtur; nihilo tamen minus uterque, aut etiam alteruter tantum nervi optici colliculus male affectus esse potest, quin longitudo, crassities, situs atque forma mutationem vel minimam subierint, si videlicet colliculi exterius loco albi coloris cinereum referant.

In eadem ferme sententia asserit Schön [10]), secundum

---

4) Lehrb. der pathol. Anatomie des Menschen u. der Thiere. Berlin 1830. Bd. I. Thl. II. §. 229. Not. 7.

5) In den Hessischen Beiträgen II. IV.; in Blumenbachs mediz. Bibliothek II. 2.

6) Abhandl. der Akademie der Wissenschaften zu Berlin für das Jahr 1814—1815. p. 195.

7) Observat. anat. varior. Halae 1765. Obs. III. 1.

8) Medical. communicat. Vol. 1. 1784.

9) l. c. §. XI.

10) Handb. der pathol. Anatomie des menschl. Auges. Hamburg 1828. p. 118.

Meckel mutationem, destructionem oculi insequentem, ita progredi, ut primum pars nervi optici ante decussationem sita, deinde totus nervus, et postremo etiam thalamus immutetur, et primum quidem eius forma, tum textura: quas tamen thalami immutationes non semper necessarias atque constantes esse addit, quum Meckel [11]) in foemina, annos viginti usu oculorum privata, nervis opticis valde minutis, thalamos omnino normales repererit; tum rarius nervum atque thalamum eiusdem lateris, saepius vero partem nervi optici post decussationem sitam et thalamum oppositi lateris volumine minutum inveniri; deinde alterum saepe thalamum, altero minuto, amplificatum, utrumque etiam secundum Wenzel minutum deprehendi, ita quidem ut primum depressior planiorque, tum angustior ac tenuior appareat.

Eandem sententiam retulerunt Michaëlis [12]), Autenrieth [13]), Voigtel [14]).

Treviranus [15]) narrat, Valsalvam in homine, qui hemiplegia lateris sinistri et visu turbato oculi eiusdem lateris affectus fuisset, laesionem praecipuam in thalamo dextro invenisse.

Vrolik [16]) observationem in puero quatuordecim annorum, ex mense aetatis quarto, usu oculorum orbato, institutam refert, ubi thalami ne tertiam quidem soliti voluminis partem exhibebant.

Contra affirmat Morgagni [17]), se mutationem nervo-

---

11) Meckel, pathol. Anatomie. Bd. 2. Abthl. 1. p. 320.

12) Ueber die Durchkreuzung der Sehnerven. Halle 1796.

13) l. c. §. 1049.

14) Handb. der patholog. Anatomie. Bd. 1. Abthl. 5. p. 645. Halle 1804.

15) Biologie oder Philosophie der lebend. Natur. Bd. 6. Abthl. 1 Cap. 3. Göttingen 1824.

16) Andral, précis de l'anatomie pathologique p. 779. Paris 1829.

17) Ueber den Sitz und die Ursachen der Krankh. Bd. 1 Altenburg 1771.

rum opticorum tantum a bulbo oculi usque ad decussationem, nunquam autem ultra eam procedentem vidisse.

Gall [18]) quidem concedit et se ipsum saepius observasse profitetur, usu oculi alterutrius longius amisso, thalamum oppositi lateris minutum visum esse: sed thalamum affirmat ipsum in hisce omnibus caecitatis et tabis nervi optici casibus nunquam mutationem subiisse; neque ullam inter nervum opticum et thalamum existere rationem mutuam.

Andral [19]) in eandem sententiam discedit, siquidem hisce utitur verbis: alterationes, quae sedem in thalamis habent, rarissime caecitatem provocant; et thalami ipsi rarissime immutati sunt, in quibus ipsis casibus atrophia nervorum opticorum perspicue sub oculos cadit.

Nuperrime in dissecando cerebro iuvenis Georgii Limpach, e pago Asbach oriundi, qui in clinico Bonnensi phthisi tuberculosa demortuus erat, thalamus dexter multo minor, depressior et drachma dimidia levior, quam sinister, apparuit. Nullum visus turbati symptoma unquam observatum est.

Altera, quae proposita est, de thalamorum functione sententia haec est, facultatem membra superiora movendi ipsis esse propriam.

Jam Willis [20]) corporibus striatis facultatem movendi attribuisse videtur, siquidem dicit: corpora striata, uti sensuum omnium impetus, ita motuum localium spontaneorum primos instinctus suscipiunt.

Saucerotte [21]) autem facultatem membra inferiora in cerebri anterioribus, membra superiora movendi, in posterioribus lobulis positam esse putavit.

---

18) l c. p. 38.

19) l. c.

20) Treviranus, Biologie oder Philosophie der lebend. Natur. Bd. 6. Abthl. 1. Cap. 3. Göttingen 1821.

21) (Prix de l'Académie royale de Chirurgie) in Traité clinique et physiologique de l'encéphalite par Bouillaud. p. 275. Paris 1825.

Novissimis temporibus Foville[22]) et Pinel-Grandchamp demonstrare conati sunt, vim percipiendi in substantia cerebri grisea, vimque membra movendi in substantia alba lobulorum aut in substantia grisea colliculorum striatorum opticorumque positam esse. Quilibet enim, aiunt, si in paralysi brachii solius certo casuum numero observata eadem cerebri pars laesa invenitur, si porro in alio casu resolutiones membri inferioris alii cerebri laesioni correspondentes observantur, sine dubio concedet, non ineptum esse concludere, partem degeneratam in casu paralyseos brachii motibus huius membri praeesse, sicuti paralysin membri inferioris dependere ab altera cerebri parte, quae morbose affecta reperta fuerit. Unde sequatur, ut, quia saepius in resolutione brachii laesio thalami optici observata sit, thalamus opticus ille cerebri locus sit, de quo vis brachium movendi exeat.

Serres[23]), hac explicatione non contentus, observationibus propriis fretus autumat, et casibus additis demonstrare conatur, facultatem membra superiora movendi ex thalamorum radiationibus procedere, effici enim earum degeneratione paralysin membri superioris partis corporis oppositae.

Bouillaud[24]), qui has sententias conciliatas admodum acriter defendit, facultatem membra superiora movendi in thalamis et substantia medullari, cuius fibrae ex his gangliis proveniant, positam esse contendit: unde fiat, ut degeneratione thalamorum eorumque radiationum circumscripta, sola membrorum superiorum resolutio provocetur.

---

22) Recherches sur le siège spécial de différentes fonctions du systeme nerveux, par Foville et Pinel-Grandchamp, Elèves internes de l'hospice de la Salpetrière.

23) Anatomie comparée du cerveau dans les quatre classes des animaux vertebres: partie physiologique et pathologique. T II. Paris 1826.

24) Traité clinique et physiologique de l'encéphalite. Paris 1825.

Lallemand[25]) his quidem opinionibus assentit, sed memorat, experimenta in brutis instituta observationibus pathologicis repugnare videri.

Quam opinionem fortiter oppugnat Andral[26]), qui observationibus ab ipso institutis edoctus affirmat, praesente scientiae physiologicae statu fieri non posse, ut facultati membra et inferiora et superiora movendi distincta sedes in cerebro assignetur, licet non dubitet, quin illa adsit. Nam in septuaginta quinque casibus, quos ad hanc sententiam stabiliendam conscripsit, partim membrum superius solum, alteratione vel in corpore striato vel lobulo cerebri anteriore satis limitata, salvoque thalamo, resolutione affectum, partim thalamo morbose affecto, membrum superius et inferius simul resolutum invenit.

Experimenta in brutis instituta.

Flourens[27]) in cuniculo et porco omnes locos thalamorum acu perfixit; deinde eos singula strata decidens penitus abstulit; nullam unquam contractionem iridis, nullam sive motus sive sensus turbationem in membris observavit.

Zinn[28]) in tribus canibus instrumento, quod trois-quart vocatur, corpus callosum et thalamum opticum perfixit; quorum unus hilaritatem solitam et attentionem ad latratum alius canis ostendebat, postero die quoque bene valebat; alter circumcurrebat pariter ac si nihil ei accidisset, postridie mane lassus quidem, non vero privatus facultate movendi ac sentiendi; tertius initio attonitus, post vero aliquot horas recrea-

---

25) Traité clinique et physiologique de l'encéphalite. Paris 1834.
26) Clinique médicale. T. V. p. 357. Paris 1833.
27) Recherches expérimentales sur les propriétés et les fonctions du système nerveux dans les animaux vertèbres. Paris 1824. § 7. sqq.
28) Haller disp. VII. p. 424. sqq.

tus, totam per noctem latrabat, postridie etsi hilaris, tamen uno latere resolutus inveniebatur.

Magendie [29]) dimidia parte thalamorum opticorum superiore scalpello ablata, omnino nullam motionis voluntariae turbationem animadvertit.

Desmoulins [30]) postquam corporibus striatis exstirpatis, thalamos etiam removit, animal in latus concidere, omnesque pedes celerrime iactare vidit.

Restat, diversis auctorum sententiis enarratis, ut summam observationum pathologicarum ex casibus a me collectis infraque descriptis afferam. Sed nihil magis doleo, quam me in scriptis auctorum unum modo casum (sub No. 3 descriptum) invenisse, in quo thalamus opticus unus et solus erat affectus. In ceteris omnibus alteratio thalamorum opticorum magis minusve cum degeneratione aliarum cerebri partium complicata erat. Vix igitur est, quod symptomata recenseam atque comparem; quin imo recensionem iniquam existimam, cum lector facile credere possit, omnium symptomatum causam in laesione thalamorum opticorum quaerendam esse, quod tamen valde dubium est. Nihilominus illa symptomata, quae vel ad diagnosin morborum thalamorum opticorum statuendam, vel eorum functionem propositam affirmandam aut abnuendam conferre possint, breviter exponam.

Turbatio visus raro et modo in casibus valde complicatis, sub No. 9, 11, 22, 23, 60 descriptis, observata est. Intelligentia etiam rarissime turbata, et tantum iu casibus complicatis: 5, 7, 21, 27, 43, 47, 54. Distorsio oris ad idem latus thalami laesi: 3, 9, 12, 23, ad oppositum latus, 19. Symptoma constantissimum et in omnibus fere casibus observatum hemiplegia lateris oppositi habenda est, exceptis sequentibus: 7, in quo hemiplegia eiusdem lateris; 13, 22, in

29) Journal III. p. 376. 379.

30) Anatomie des systèmes des animaux a vertèbres appliquée à la physiologie et à la zoologie, Livre IV. p. 625. Paris 1825.

quibus paralysis eiusdem lateris; 14, 15, 25, 27, in quibus brachii paralyseos nulla facta est mentio; 34, in quo perstante quamquam degeneratione tamen evanuit paralysis; 28, in quo paralysis brachium magis affecit quam crus; 16, convulsiones et rigiditas membrorum superiorum solae; 11, 20, in quibus paralysis brachii sola.

Ex diversitate opinionum auctorum atque symptomatis comparatis mihi satis procedere videtur, functionem thalamorum opticorum profundius delitescere, quam ut oculo mortali perspici possit. Quod autem attinet ad diagnosin morborum thalamorum opticorum statuendam, non abhorreo a sententia Piorry [31]), siquidem dicit, quamvis hemiplegia vix affectionem corporis striati et thalami optici indicet, tamen concedendum esse, altero solo membro aut inferiore aut superiore paralysi aut contractione affecto in universum alteram harum partium solam esse laesam. Se quidem, refert, in casibus ab ipso observatis nullam rationem certam inter naturam affectionis colliculorum opticorum striatorumque et symptomata in vita observata detegisse. Modo enim haemorrhagiam vel mollitiem in corpore striato aut thalamo optico plane limitatam vidisse, ubi et superiora et inferiora membra simul resoluta fuerint; modo praecipue corpus striatum morbo affectum sese invenisse, ubi membra inferiora minore, quum superiora, resolutionis gradu laborassent. Attamen in bis tertia parte casuum saltem eiusmodi consensum inter alterationem organicam et locum paralyseos se reperisse, ut non longum a veritate abesse putaret, symptomata cerebralia si solummodo in membris inferioribus, corpora striata, sin solummodo in superioribus manifestarentur, thalamos opticos affectos esse.

31) Traité de diagnostique et de séminologie par P. A. Piorry. T. III. Paris 1838.

PARS PATHOLOGICA.

Oligaemia.

1) Andral [1]) casus mentionem facit, ubi in hypertrophia cerebri massa corticalis, quae a medullari, plane sanguinis experte, vix erat distinguenda, in interioribus partibus, praecipue in thalamis opticis et corporibus striatis eundem, atque in superficie cerebri externa, pallorem exhibuit. Procul omni dubio haec oligaemia pressu, quem massa cerebri valde adaucta in vasa excercebat, prohibita libera circulatione, videtur adducta.

Hyperaemia.

Andral [2]) in universum duos hyperaemiae gradus discernit, quorum alter rete vasorum capillarium nonnisi impletum et extensum (quod iniection diverse vocat) exhibet; alter vero, vasis ruptis, in effusione maioris minorisve sanguinis copiae in substantiam cerebri constat. Utraque conditio et in thalamis obveniens observata est.

2. Primi gradus [3]) casus traditi sunt plures, in quibus autem nullus est, in quo thalamus opticus solus affectus erat. Nam in omnibus hisce casibus alia simul pathemata gravia ceterarum cerebri partium, ut vel crassities et adhaesio mem-

---

1) Observations sur l'hypertrophie des Hémisphères cérébraux Obs. I. in Clinique médicale par G. Andral. T. V. Paris. 1833.

2) Precis de anatomie pathologique. Paris 1829.

3) De l'épilepsie considerée dans ses rapports avec l'aliénation mentale recherches sur la nature et le siège de ces deux maladies, par Bauschet et Cazauvieilh.

branarum, vel induratio aut mollities cerebri, occurrebant. Quorum igitur symptomata, quum valde dubium sit ad quamnam conditionem sint referenda longius hic exponere omitto, atque satis esse puto, me tantum huius conditionis mentionem fecisse. Observationes relatae descriptae sunt sub No. XI, XIII, XV, XVI, XVII et XVIII, quibus omnibus epilepsia symptoma erat commune.

Alter gradus, quem supra diximus in effusione sanguinis in substantiam cerebri consistere, fere semper cum destructione texturae, tum quoad continuitatem, tum quoad consistentiam et colorem, coniunctus est, praesertim vita illaesa. Quo in casu semper fieri solet, ut sanguine resorpto, cavum remaneat, plerumque membrana propria vestitum. Unde quoque non raro symptomata, quae initio extravasati sanguinis aderant, mutantur. Nam effusio ipsa plerumque, quamvis non semper, accessione apoplectica indicatur, et, exitu fausto, paulisper paralysis lateris oppositi remanet. Sensim sensimque autem, ut sanguinis effusi copia resorbetur, resolutio membrorum minuitur, neque exempla desunt, in quibus plane evanuit. Haec conditio in thalamis opticis saepe, et frequentius, quam in ceteris cerebri partibus occurrit.

3. Andral[4]) refert casum viri LX annorum, qui, receptus in Maison royale de santé, ei voce anhela narrasset, se ante tres hebdomades crure sinistro subito resolutum concidisse, et in lecto positum mox sensisse, brachium quoque sinistrum omni movendi vi privatum, intelligentiam autem et sensus ne momentum quidem turbatos esse. Os paululum dextrorsum distractum; loquela nunquam difficilis; motus linguae nunquam prohibitus; interdum capitis dolor et stupor transiens, quibus ante illam accessionem sese nunquam laborasse affirmat. Hemiplegia immutata usque ad mortem, sex mensibus post subsecutam, perduravit. Examinatio cerebri: totum cerebrum sanum, excepto thalamo optico dextro, cuius

---

4) Clinique médicale T. V. obs. XI. p. 337. Paris 1833.

in centro cavitas tantae magnitudinis, ut cerasum magnum recipere potuisset, plena sanguinis, colorem et consistentiam gelatinae ex fructibus ribium paratae praebentis. Parietes huius cavitatis tela cellulosa, quam facile a tela nervea detrahere licebat, vestitae; circum hanc telam, spatio unius vel duarum linearum, substantia cerebri coloris amarantei.

4. Alius [5]) hominis cerebrum, qui apoplexia repente correptus, coma et resolutione omnium membrorum affectus, horis duobus post exspiraverat, disquisivit, talemque thalami et corporis striati dextri destructionem, effusione sanguinis effectam, invenit, ut non amplius existere viderentur. Praeterea ingens sanguinis copia in substantiam cerebri dextri hemisphaerii erat effusa.

5. Vir quidem, cuius mentionem fecit Bright [6]), praeter dolorem capitis frequentem, ex quinqne iam annis durantem, semel vel bis vertigine, et alvo fere semper obstructa vexatus, subito in via est collapsus et conscientia et facultate sentiendi loquendique perdita dextro latere resoluto, muco et saliva ex ore profluente, pupilla tarde sese contrahente. Venaesectione instituta nonnulli motus convulsivi apparuere, conditio autem non melior reddita; convulsiones cruris et brachii sinistri mox quoque paralysis completa subsecuta est. Pulsus erat variabilis: IIL — LX; pupillae contractae; respiratio stertens; mors repentina post septem horas. Sectio praebuit haec: gyros valde explanatos, sulcos vix videndos; ruptionem thalami sinistri completam, substantiaeque cerebri vicinae, nec non septi lucidi, ventriculos laterales sanguine effuso valde extensos, qui inde ab illis ventriculis ad ventriculum tertium et quartum, in corpus callosum, in superficiem cerebelli, in pontem Varolii, superioremque medullae oblongatae partem se extendebat.

---

5) Andral. l. c. obs. XIII.

6) Reports of medical cases etc. Vol. II. diseases of the brain and nervous system. London 1831. Case CXXXII.

6. Sims [7]) cerebrum hominis inquisivit, qui ante menses XVIII apoplexia coniuncta cum hemiplegia lateris sinistri correptus et iam fere ab ea restitutus, paullo post autem nova accessione apoplectica demortuus est, reperitque: in corpore striato dextro sacculum parietibus obscure fuscis indutum, in thalamo dextro duas, perparvas cavitates; in centro thalami sinistri parvum coagulum sanguinis recenter exsudati, magnitudinis pisi, coloris purpurei.

7. Lallemand [8]) tres communicavit casus, quorum in uno quum intelligendi facultas plane prohibita atque latus dextrum hemiplegia fuisset affectum; in thalamo dextro duo cava vacua, magnitudinis seminis canabis, in cerebello excavatio magna, membrana spuria densa vestita, et alia membranis vestita cava in cerebro atque cerebello, corpus striatum sinistrum consistentiae casei inventa sunt.

8. In altero [9]), quem observavit Abercrombie, praecedebant dolor capitis in latere sinistro, rigiditas, motus involuntarii ac denique solutio membrorum lateris dextri, coma, cet. — In thalamo sinistro ad radicem nervi optici coagulum sanguinis, nucis magnitudine; abscessus saccatus totum occupans hemisphaerium dextrum. Tertium casum infra sub No. 25 invenies.

9. E. Home [10]) observationem refert, in qua thalamus dexter uncia sanguinis, ad ventriculum dextrum tendentis, et ventriculus sinister sero sanguinolento repleti erant. Pars corporis sinistra paralysi, affecta, palpebrae clausae, os ad unum latus distortum, scintellae ante dextrum oculum, coma, observabantur.

---

7) On serous effusion of the brain in Med. Chir. Transact. Vol. XIX. case VII.

8) l. c. Let. 8. No. 10.

9) l. c. Let. 4. No. 6.

10) Deutsch. Archiv für Physiologie, herausg. von J. F. Meckel. Bd. 3. Halle u. Berlin 1817.

10. Morgagni[11]) observationem in muliere institutam tradidit hisce symptomatis: accessio apoplectica, amissa loquendi facultas, item et sentiendi et movendi in membris lateris dextri, iisdem quoque membris interdum convulsis contractisque; sic et oculi dextri palpebrae connivebant. — Sectio: Dura mater solito crassior; vasa aliarum cerebri membranarum sanguine turgescentia, quasi iniecta; aqua limpida inter membranas et in ventriculis; thalamus sinister coloris fusci; in parte eius externa cerebri substantia emollita et cruento colore inducta, humore turbido mixta, fere fluida.

11. Aliam narrat Morgagni[12]) observationem cuiusdam feminae, quae ex pluribus iam mensibus obliviosa, quadamque visus turbatione affecta, subito inter edendum concidit, totaque sinistra corporis parte, sicuti brachio dextro resoluta fuit. Respiratio normalis; convulsiones nullae; caput autem laxe pendulum; mente atque sensu privata post horas novem a vita discessit. In cerebro perlustrando offerebantur: ventriculi sanguine fluido repleti; substantia cerebri dextro latere ad marginem corporis striati et thalami optici permultum, sinistro tantum ad thalami marginem, et multo minus erosa; plexus choroideus vix noscendus.

Huc etiam ille casus a M. Rostan observatus et infra sub No. 34 descriptus pertinet.

12. Aegrotus[13]) LX annorum, bis iam apoplexia affectus, qua primum lateris dextri, tum post annum lateris sinistri motus valde turbati sunt, subito aliquando collapsus sui inscius, inter octo dies usque ad mortem haec observanda praebuit: caput et os dextrorsum distractum, oculos clausos; audiendi, sentiendi et cogitandi facultatem non turbatam; paralysin sinistri lateris, post aliquot dies diminutam, palpebris

11) l. c. Br. 5. No 6.

12) l. c. Br. 2. No. 13.

13) Recherches anatomico-pathologiques par Tacheron. Paris 1822. III. p. 447.

dextri oculi semiclausis; linguam apice sinistrorsum directam; loquendi facultatem ante ipsam mortem demum perditam; respirationem illaesam; urinae incontinentiam; pulsum frequentem, durum; deliria hilaria. — Sanguis in dextro thalamo opt.; in sinistro cavitas ciceris magnitudine, parietibus laevis, pellucidis, aqua repleta. Duae aliae cavitates eiusdem naturae in dextro lobulo inferiore cerebri et dextro pontis latere, mediam versus eius partem.

13. Pembèrton [14]) invenit in substantia thalami optici dextri globulum sanguinis, magnitudine nucis iuglandis; in hemisphaerio sinistro saccum, materia purulenta repletum, in circuitu mollitiem cerebri. — Aderant initio: dolor capitis, vertigo, turbatio mentis, motus convulsivi membrorum lateris dextri; postremo aphonia, hemiplegia completa partis corporis dextrae; faeces aegroto insciente deponebantur, urina quoque sponte fluente. Nulla ullius partis corporis sinistrae symptomatis mentio est facta.

14. Casus in clinico Bonnensi observatus. — Dorothea Fink, Bonnensis, annos duos et dimidium nata, quum longum per tempus iam antea rhachitide et scrofulosi atonica laborasset, nuperrime morbo haemorrhagico maculoso, quem dicunt Werlhofii, correpta, non multo post a vita discessit. Nulla aut visus aut motus voluntarii turbatio in ulterioribus vitae diebus observata est. — In cerebro dissecando praeter alia haec inventa sunt. Uterque ventriculus lateralis libra circiter dimidia humoris serosi repletus; pia mater in ventriculo laterali dextro, inprimis in colliculo optico et striato flavida; thalamus opticus dexter sinistro amplior; Superficies eius externa flavida, interna aspera et e rubronigra apparuit. Ad latus internum uterque thalamus massa purpurea, membranacea cohaeserunt. Dissecti thalami optici

---

14) Johann Abercrombie über Krankheiten des Gehirns und Rückenmarks, aus dem Engl. übersetzt von Fr. de Blois. Bonn 1821. casus VIII.

textura quidem nusquam laesa videbatur, sed solito durior et sanguine e rubro-nigro penitus perfusa, ita ut color eius normalis nusquam conspici liceret. In medio thalami optici sinistri locus duriusculus, magnitudine nucis avellanae, colore purpureo repertus est.

Inflammationis

nullum quamquam in scriptis auctorum casum relatum reperio, attamen ex eius exitibus satis elucet, eam nonnunquam occurrere. Quos ad exponendos igitur statim transeamus, atque exordiamur cum

Suppuratione

quae aut totum occupat thalamum, aut partem eius, eamque vel magis albam vel griseam substantiam.

15. Gall [15]) in foemina vesania vexata thalamum sinistrum, plus parte dimidia, ulcere destructum, corpus striatum et haemisphaerium eiusdem lateris fere consumtum invenit.

15) Wenzel [16]) hunc refert casum; Cerebrum mulieris octoginta annorum exploravimus, cuius totum sinistrum corporis latus apoplexia, qua etiam exstincta est, correptum et resolutum fuit. Invenimus praeter alia dextrum colliculum striatum et opticum suppuratione penitus destructum, adeoque inter se has partes coufluxisse, ut ne forma quidem aut circumferentia posset distingui.

17. Langenbeck [17]), abscessum quatuordecim annos in hemisphaerio cerebri dextro latentem et thalami optici dextri partem occupantem, materiam puriformem secernentem, per ulcus fistulosum aure continuo profluentem observavit.

---

15) l. c. p. 213.

16) l. c. §. X. ob., 1.

17) De retina observationes anatomico-pathologicae auct B C. B. Langenbeck. Gott. 1836. p. 149.

18. Puer [18]) XIV annorum prae se tulit: morositatem, somnolentiam, impotentiam loquendi, rigiditatem et convulsiones membrorum superiorum; et post aliquot dies morti occubuit. Sectio suppurationem partis substantiae medullaris utriusque lobuli anterioris atque utriusque thalami optici ostendebat.

19. Duncan [19]) mentionem cerebri facit, cuius totum hemisphaerium dextrum sinistro mollius, lobulus autem anterior et medius in materiam pulti similem conversus; thalamusque opticus dexter massa molli, pulti simili facile removenda, obtectus erat; ad haec accessit effusio vasta ad basin cranii. Praegressa erant haec symptomata: exagitatio magna, delirium vehemens, motus musculorum violenti, dolor capitis, calor magnus, sitis non sedanda, pulsus CIV ictuum in sexagesima horae parte plenus et durus, magna loquacitas, Idearum turbatio; post aliquot dies intelligentia redux, rigiditas primum brachii sinistri tum quoque cruris sinistri, palpebrae oculi sinistri et angulus oris sinister sicuti lingua deorsum ac sinistrorsum distracta, pupilla continuo contracta; denique resolutio completa totius lateris sinistri, stupor et mors.

Mollities.

Haec degeneratio modo in superficie externa, in cortice albo, qui thalamum opticum circumvelat, modo in ipsa substantia grisea exsistit; sed in omnibus casibus, quos collegi, cum affectione aliarum cerebri partium complicata est.

20. Andral [20]) refert casum, in quo haec symptomata apparebant: Vir quidam XXX annorum subito, causa ignota, rigiditate nuchae capite retroverso, atque trismo incipiente

---

18) Lallemand, Traité clinique et physiologique de l'encéphalite, a Paris 1825. obs. XIX.

19) Duncan, in Edinb. Journal.

20) l. c. obs. XIII. p. 435.

sine ulla alia turbatione aut motus membrorum, aut intelligentiae, aut respirationis aut digestionis torquebatur. Tribus diebus post praeter cetera et rigiditas incipiens membrorum musculorumque abdominis, atque dolor brachii sinistri apparuere; postero die et movendi et sentiendi facultas in brachio sinistro plane exstincta, ac rigiditas hesterna sublata; pulsus paululum acceleratus, nonnulli motus convulsivi; tum secuta sunt die insequente, sopor, pupilla dilatata, respiratio anxia, motus convulsivi faciei omniumque membrorum intermittentes; diebus sequentibus, nulla convulsio, brachium sinistrum continuo resolutum, pulsus celerrimus, debilis, pupilla dilatata; tertio die ab hinc, nova exagitatio magna, exclamatio continua, vehementes convulsiones totius corporis, totum per diem durantes, sub quibus mors. — In cerebro investigando reperta sunt: pia mater tam ad superficiem convexam quam ad basin cerebri laete rubra iniecta, nec non stratum griseum superficiale gyrorum; ventriculi laterales fluido limpido-seroso impleti; pars posterior nuclei cerebri in pultem albam conversa, mediaque pars thalami dextri perfecte emollita.

21. Tres alios casus idem narrat, quorum in uno [21]) mollitiem lobuli anterioris et medii hemisphaerii dextri, cuius corpus striatum et thalamus eiusdem lateris particeps erat, cum hemiplegia lateris sinistri.

In altero [22]) mollitiem anterioris partis hemisphaerii, cuius etiam corpus striatum et thalamus opticus particeps erat, cum contractione et hemiplegia lateris oppositi.

In tertio [23]) mollitiem lobuli anterioris hemisphaerii sinistri, atque posterioris et mediae partis utriusque thalami optici; ambitu nucis magnae, cum intelligentiae iactura, con-

21) l. c obs. VIII. p. 413.
22) l. c. obs. XVI. p. 449.
23) l. c. obs. XXII. p. 471.

tractione et hemiplegia lateris dextri, convulsionibus et symptomatis catalepticis lateris sinistri coniunctam invenit.

22. Lallemand [24]) mentionem fecit feminae cuiusdam, quae habitu apoplectico praedita, dysmenorrhoea et congestione frequente ad cerebrum multum vexata, apoplexia correpta est, cuius symptomata paulatim paralysi non relicta evanuere; caligo oculorum frequentior facta est. Tribus annis praeterlapsis nova accessio apoplectica, et inde loquela difficilis, torpor membrorum partis dextrae, eorumque vis sentiendi et movendi iactura. Detractione sanguinis ex vena iugulari instituta, vehementes motus convulsivi membrorum lateris dextri et partis faciei sinistrae exortae sunt. Postero die paralysis completa brachii dextri et oculi sinistri. Quatuor diebus post mors subvenit. — Examen cerebri ostendebat: arachnoideam solito densiorem, rubram et iniectam; mollitiem subfuscam partis centralis thalami optici dextri, spatium pollicis circiter dimidio occupantem; in superficie eiusdem thalami optici recentem membranam spuriam V—VI linearum, quae speciem cartilaginis mollis prae se ferebat; nec non corporis striati sinistri atque protuberantiae annularis plura punctula emollita.

23. In alio casu, quem idem [25]) descripsit, thalamus dexter et pars quaedam corporis striati, atque hemisphaerii eiusdem lateris in pultem albidam conversa erant. Similis alteratio in superiore eius parte et fornice circumscripta reperiebatur. Arachnoidea in omnibus ventriculi lateralis dextri locis emollitis, parte excepta ea, quae corpus striatum superinduit, ita mutata erat, ut cognosci non posset. — Hic casus observatus est in foemina LXX annorum, constitutionis apoplecticae, quae ab accessione apoplectica, cui frequens vertigo antecesserat, non ita multo post reficiebatur, ut iterum munera exsequi posset. Sequente autem anno denuo

---

24) l. c. Let. 1, No. 13.

25) l. c. Let. 2. No. 7.

capitis dolore atque gravitate, vertigine frequente, et formicatione in membris per dies sex vexata, sui inscia subito concidit. Sensim sensimque ita refecta est, ut quidem usum linguae et mentis perfectum, non vero vim sentiendi movendique membra partis sinistrae recuperaret. Oculus sinister visu orbatus palpebra soluta obtectus erat; pupilla dilatata et immobilis; distorsio anguli oris dextrorsum; et aberratio linguae sinistrorsum, simulac aegrota eam ex ore emittere conabatur. Die sexto vehemens oculi sinistri dolor; reditus sensus et motus membrorum resolutorum. Die decimo septimo dolor capitis vehemens, continua flexio et rigiditas brachii resoluti, et paulo post mors.

24. In duobus aliis casibus, qui praeter mollitiem thalamorum permultas alias degenerationes ceterarum cerebri partium praebebant, observavit Lallemand [26]) hemiplegiam lateris oppositi cet.

25. Vir [27]) quidem habitu brevi et gracili intra paucos dies epilepsia demortuus est, qua quidem longius laboraverat, nunc autem violentius correptus erat. — In cerebro inventa sunt: ossificatio et extensio inaequalis arteriae basilaris; in ultimo fine utriusque thalami optici color e nigrofuscus depravationem medullae subiacentis indicabat, et revera, quo profundius incidebatur, eo, normam excedens, mollior erat, et semiputrefacta videbatur.

Induratio.

Observata est morbosa illa thalamorum opticorum mutatio inter alias saepissime; et non raro ex effusione sanguinis procidisse videtur.

26. Lallemand [28]) vidit thalamum opt. dextrum induratum et atrophicum in homine, qui resolutione lateris sinistri congenita affectus erat.

---

26) l. c. Let. 8. No. 3. et Let. 5. No. 18.

27) Morgagni, l. c. Br. 9. No. 18.

28) l. c. Let. 8. No. 37.

27. Tres alios idem refert casus, quorum in uno [29]) substantia medullaris valde alba et dura erat, praecipue in thalamis opt. et superiore ventriculorum parte ac cornu Ammonis, ubi incisioni atque tractioni resistere videbatur; arachnoidea simul arcte cum substantia corticali coalita. — Sunt observata: dementia, iactura intelligentiae, contractio membrorum inferiorum.

28. In altero [30]) reperta est induratio fusca thalami dextri, ambitu 18—20''', cuius medium tenebat cavitas parva, magnitudinis pisi; in utroque ventriculi laterali unciae duae fluidi serosi. — Adfuit paralysis brachii sinistri, quam cruris sinistri, fortior, cum quadam rigiditate coniuncta.

29. In tertio [31]) commissura mollis thalamorum opt. fuit coloris e rubro-fusci, durissima, incisioni scalpelli fortiter resistens, lineas IV circiter lata. Adfuere praeterea abscessus in fossa Silvii lateris dextri, et alius in parte posteriore ventriculi sinistri; cavitates vacuae in lobulo anteriore hemisphaerii dextri; satis abunde fiuidi serosi inter arachnoideam, et piam matrem, in corporis striati sinistri centro notabilis alteratio et quoad consistentiam et quoad colorem. — Praegressa erat paralysis utriusque quidem corporis partis, sed inaequalis.

30. Marchat [32]) indurationem medullae oblongatae, pontis Varolii, colliculorum striat. et opt. nec non lobulorum posteriorum observavit.

31. Bergmann [33]) in puero annos V nato, paralytico et strabone thalamum utrumque callosum, ex aequali subflava materia adiposa constantem vidit.

---

29) l. c. Let. 7. No. 26.

30) l. c. Let. 5 No. 10.

31) l. c. Let. 7. No. 21.

32) In hist. de l'acad. des sciences à Montpellier I. p. 334.

33) In Nasse's Zeitschrift für Anthropologie. 1823. 2. Heft. S. 415.

32. Ford[34], oculo sinistro exstincto, et amaurosi oculi dextri subsequente, quum infans mensibus duobus post morti succumberet, thalamos opticos intrinsecus cinereos et insolito firmos, sinistrum insuper insolito tumefactum dextrumque nervum opticum e loco prementem invenit.

33. Conrad[35]) thalamos opticos una cum corporibus striatis in puero quodam pusillos atque coriaceos observavit.

34. M. Rostan[36]) observationem refert in ancilla quadam institutam, quae ante annos duos, vehemente terrore percussa sui inscia conciderat, et ab humo elevata toto corporis sinistro latere resoluta fuerat. Ast vero sanguinis detractio, pluries repetita, atque remedia revulsiva sensim sensimque facultatem movendi et sentiendi, intra menses sex imperfectam quidem revocaverant, annis autem duobus praeterlapsis omnia paralyseos symptomata evanuerant; tum scilicet temporis, quo M. Rostan in auxilium vocatus est contra tumorem fluctuantem in regione media dorsali, et tubercula pulmonum, quibus mox moriebatur. In cerebro explorando colliculus opticus et striatus dexter haecce prae se tulit: substantiam cerebralem adspectus et consistentiae telae fibrosae, et in hac tela indurata thalami optici cavitatem, sic dictam apoplecticam, abditam, tantum quidem, ut pisum mediocre recipere posset, nec non cicatricem lineas VIII longam et VI latam. Ceterum nil abnorme in cerebro inventum est.

---

34) Ueber die Durchkreuz. der Sehnerven von Th. Michaelis. Halle 1790.

35) Joh. Conrad, de hydroceph. c. fung. cereb. coniunct. Argentor. 1778. 4.

36) Archives générales de médécin; Journal complémentaire de sciences médical publié par une société de médécins. II. serie. tom. VI. Decembre 1834.

Hypertrophia.

35. Andral [37]) thalamum opticum dextrum quadrante maiorem, quam sinistrum, nullo symptomate singulari comitante, observavit.

36. Sims [38]) mentionem fecit casus, in quo thalami sinistri volumen valde adauctum erat; corpus striatum dextrum duplo maius quam solet; volnmen tuberis annularis et cerebri partis circumiacentis quoque maius erat. — adfuere: fatuitas, et magna membrorum inferiorum debilitas.

37. Lallemand [39]) in dissecando cerebro infantis, quae semper morosa fuerat, et convulsionibus multum laboraverat, thalamum dextrum admodum voluminosum, seiunctum, in superficie valde durum, fuscum, interne griseum mollioris que consistentiae, una cum destructione hemisphaerii sinistri invenit.

38. Wenzel [40]): Mulieris, quae amaurosi usum sinistri oculi amiserat, cerebrum examinatum ostendebat sequentia: Sinistrum nervi optici colliculum, superne spectatum, solito maiorem, quin imo quasi tumefactum; et superiore in facie valde arcuatum; dextrum contra planum ac manifeste angustiorem, at non breviorem, ambos autem colore nihil prorsus differentes; contra vero, si uterque colliculus inferne spectetur, sinister dextro altius situs esse, magisque antrorsum procedere nobis videbatur.

39. Boehmer [41]) in oculorum morbis thalamos interdum reperit tumefactos.

---

37) Précis d'anatomie pathologique. Tom. II. p. 770. Paris 1829.

38) On Hypertrophy and Atrophy of the brain in: medico-chirurgical Transactions. London 1835.

39) l. c.

40) l. c. obs. III. p. 115.

41) Obs. anat. varior. Halle 1766. Ford in Medical communication. Val. 1784.

Atrophia.

Diminutio voluminis et cum turbatione texturae et sine ea modo in uno, modo in utroque simul thalamo optico observata est, praesertim, ut supra iam diximus, oculo destructo et visu longius turbato (Wenzel, Schön, Otto).

40. Vrolik [42]) refert, se in puero XIV annorum, ex mense quarto post partum visa privato, thalamos opticos reperisse, qui ne tertiam quidem soliti voluminis partem habuissent.

41. Mulier [43]) quadragenaria, cuius dexter oculus quinto vitae anno laborare coeperat leucomate postea in staphyloma abeunte, viginti iam annis et amplius oculi huius usu destituta fuit. — Dexter colliculus nervi optici, superne spectatus, manifeste planior et minus convexus et minus crassus, quam sinister, ceterum autem ambo colliculi longitudine ac latitudine plane sibi aequales apparebant.

42. Otto [44]) bis thalamum opt. lateris oppositi, visu alterius oculi turbato, atrophicum vidit.

43. Ramsey [45]) in homine demente thalamos opt. valde minutos invenit; in duobus aliis amentibus thalamum opt. utrumque volumine minutum reperit Romberg [46]).

44. Meckel [47]) tres casus enarravit, in quibus nervum oculi destructi tenuiorem in eiusdem lateris thalamum opticum productum vidit.

45. Ackermann [48]) thalamum dextrum viri LXXVIII annorum, qui ante LXXI annos oculum dextrum amiserat, minorem ac depressiorem, quam sinistrum invenit.

---

42) Andral, Précis d'anatomie pathologique. T. II. p. 872.

43) Wenzel, de penitione structura cerebri hominis et brutorum. Tubingae 1812. §. X. obs. V.

44) Handb. der pathol. Anat. Bd. 1.

45) Anatomie of the heart, cranium and brain. Edinb. 1808. S. 45.

46) Zeitschrift für Anthropologie v. Nasse. 1823.

47) Michaelis über d. Durchkreuzung d. Sehnerven. Halle 1790.

48) l. c.

46. Michaelis [49]) observationem ab ipso institutam refert, in qua thalamus sinister viri septuagenarii, qui ante annos triginta oculum dextrum ictu amiserat, tenuior ac humilior apparuit. Simile quid observavit in thalamo sinistro, ubi oculus dexter visu destitutus erat.

47. Notabilem atrophiae thalamorum casum Sims [50]) memorat, in quo illi ad dimidiam soliti voluminis partem reducti erant. Corpus striatum dextrum flaccidum, e rubro fuscum apparebat; in sinistro inerat saccus sic dictus apoplecticus; lobuli cerebri anteriores morbo ossis frontis diminuti; effusio in membranas et ventriculos. Ille vir LXX annorum, ante quatuor menses circiter apoplexia, cum hemiplegia lateris dextri, cumque iactura sermonis coniuncta, correptus in diem conditioni fatuitatis propius accessit.

48. Alium casum idem [51]) refert, in quo, praeter alias graves cerebri degenerationes, uterque thalamus erat marcidus et corrugatus. — Vita huius viri accessione apoplectica finita est.

49. Morgagni [52]) refert observationem in viro quodam hemiplegia lateris sinistri ex vehemente accessione apoplectica affecto et post aliquot temporis morbo organico cordis demortuo institutam, in qua defectus hemisphaerii dextri partialis, abscessu productus reperiebatur. Praeterea thalamus proximus bis tertia parte minor et insuper flavus apparebat, neque alium praebebat adspectum, ac si cicatricem haberet.

50. Lallemand [53]) plures atrophiae thalamorum, cum

49) l. c

50) On Hypertrophy and Atrophy of the brain; in Med. Chirurg. Transact. Case 1.

51) l. c. Case 11.

52) l. c. 2 Br. No. 16.

53) Recherches anatomico-pathologiques sur l'encéphale. Paris 1834. Let. VIII.

gravibus autem aliarum cerebri partium laesionibus complicatos casus descripsit, in quibus omnibus vel debilitas vel paralysis membrorum lateris oppositi, interdum cum rigiditate aut contractione coniuncta observabantur.

Variae conditiones abnormes.

51. Malacarne[54]) in infante thalamum utrumque una cum bulbis oculorum absentem vidit.

52. Walther[55]) tectum depressum ventriculi lateralis dextri cum thalamo coalitum, cranio laeso, invenit.

53. Andral[56]) refert casum, in quo thalamus alteruter, eiusque loca vicina transformata erant in substantiam celluloso vasculosam, telae lienis satis similem, in qua ne vestigium quidem substantiae nerveae deprehendi poterat.

54. Similem casum narrat Lallemand.[57]) Puella quaedam XVII annorum querebatur de violento capitis dolore periodico, praecipue in regione temporali dextra, de debilitate sensuum, quam perfecta iactura visus, auditus, olfactus et gustus, non autem vis sentiendi sequebatur. Notabile incrementum symptomatum diversis temporibus, ut convulsiones, vomitus pertinax, capitis dolor, alvi obstructio; denique resolutio universa omnium musculorum, quorum vis ne momentum quidem redibat. Facultas intelligendi non turbata. Mors marasmo quatuor annos a prima cephalalgiae accessione adducta est. — Sectio Capitis: Ossa cranii tenuissima; prominentiae plures spinis similes in parte posteriore cuiusvis parietis lateralis in cavum cranii prosilientes; Membranae plane illae-

---

54) No. 25, 27, 37, 43, 44, 46, 47.

54) In Mém. de la soc. méd. d'émulation. Paris 1803.

55) Journal der Chirurgie und Augenheilkunde, herausgegeben von Graefe und Walther.

56) Précis d'anat. pathol. T. 11. p. 779.

57) l. c. Let. V. No. 12.

sae; unciae octo vel decem fluidi in ventriculis, quorum membranae coloris flavi erant. Thalami optici volumine paululum amplificati, in superficie irregulares, penitusque in telam fungosam transmutati. Sectio longitudinalis alterutrius huius ganglii adspectum ipsum massae sanguinis coagulati praebuit; corpora striata sana; in ceteras autem partes thalamis affines et versus inferiorem partem usque ad cerebellum haec degeneratio extendebatur; nervi optici praeter colorem fuscum, sicuti alteri nervi nil abnorme prae se ferebant.

55. In homine [58]) vesano thalami omnino coaliti; item in duobus aliis vesanis epilepticis thalami admodum exigui in parte media et inferiore substantia corticea coaliti inventi sunt.

56. Chambon [59]) de Montaux in foemina hydropica thalamos membrana rubella coalitos reperit.

57. Idem in puella hydrocephalo affecta thalamos opticos tam longe distantes vidit, ut nullum vestigium commissurae mollis deprehendi posset.

58. M. Calmei [60]) in thalamo cysticercum, sub membrana ventriculi eminentiam efficientem invenit.

59. Whytt [61]) in thalamo optico dextro tumorem durum, magnitudinis ovi gallinacei, intrinsecus colore flavo, et consistentia firma observavit.

60. John Hunter [62]) in thalamis opticis puellae XVII annorum sarcoma medullare invenit.

61. Casus in clinico Bonnensi observatus et ab amico Herr mihi traditus. Maria Anna Meissner, quum iam anno aetatis secundo Strabismo, paulatim adaucto, moxque debilitate membri sinistri et superioris et inferioris laborare coe-

58) Handb. der patholog. Anatomie v. Dr. F. G. Voigtel, Bd. 1. Absch. 5. p. 645. Halle 1804.

59) Voigtel, l. c.

60) Journal hebdomadaire de médécine. T. 1. p. 45.

61) Voigtel, l. c.

62) In medico-chir. Transact. London 1825. Vol. 8. p. 1.

pisset, paulisper ante obitum haec symptomata praebuit observanda: motus membrorum lateris sinistri convulsivos, celerrimos, sursum et deorsum directos, cum tremore coniunctos; distorsionem oculi sinistri introrsum, cuius pupilla valde dilatata; oculi dextri pupillam angustatam, palpebris clausis; os ridens dextrorsum distractum; tussim siccam, rhonchum mucosum, percussionem lateris pectoris dextri fusciorem, quam sinistri; alvum obstructam, usque ad finem omnes bene cognoverat, et apta dabat responsa. — Sectione instituta in thalami optici dextri superiore et posteriore parte tuberculum magnum, substantia alba totum inclusum, ingens autem in utroque hemisphaerio tuberculorum numerus, nec pauca in cerebello inventa sunt. Praeterea pulmones, hepar, lien tuberculis scatebant.

Vita.

Ego Henricus Tiekmann, Clarholzensis, anno huius saeculi octavo patre Christophoro Tiekmann, quem mihi morte ereptum iamiam lugeo, et matre Elisabetha, e gente Hyttinghausen natus, fidei catholicae addictus sum. Primis litterarum rudimentis imbutus, Gymnasium Rietbergense per annos quinque frequentavi; deinde Gymnasium Padibornense adii, ubi duos per annos literis vacavi; testimonio maturatis instructus anno MDCCCXXXIV tempore paschali institutum medico-chirurgicum, quod Monasterii floret, me contuli, ibique per biennium audivi praelectiones de botanice et zoologia apud cl. Becks; de chemia experimentali apud cl. Schmeding; de physice apud cl. Roling; de anatomia generali atque speciali apud cl. Tourtual et cl. Riefenstahl, qui et in cadaveribus dissecandis duces mihi fuere; de physiologia apud cl. Heindorf; de pathologia et therapia generali, de materia medica et diaetetica apud cl. Wirtensohn; de pathologia et therapia speciali apud cl. Pellengahr; de chirurgia generali et speciali, de ossibus fractis et luxatis apud cl. Klatten et cl. Riefenstahl, qui etiam fascias et ligaturas rite applicare me docuerunt; de operationibus chirurgicis apud cl. Tourtual.

Anno MDCCCXXXVI tempore paschali almam musarum sedem Rhenanam petii, ubi a rectore magnifico Freytag inter cives academicos receptus, et a decano facultatis medicae spectatissimo Ennemoser numero medicinae studiosorum adscriptus sum.

Lectiones, quas ibi frequentavi, hae sunt:

De logice disserentem audivi ill. Fichte; de psychologia ill. van Calker; de botanice ill. Treviranum; de mineralogia ill. Noeggerath; de zoologia ill. Goldfuss; de physice experimentali ill. Plücker; de chemia experimentali ill. Bergemann; de anatomia pathologica et pathogenia ill. Herm. Nasse; de arte obstetricia, de instrumentis obstetriis, de morbis uteri et puerorum ill. Kilian; de therapia generali ill. Harless; de therapia speciali, de anthropologia, de pathologia et therapia morborum psychicorum, de educatione medici ill. Fr. Nasse; de morbis oculorum, de anatomia chirurgica ill. Wutzer; de materia medica, de medicina forensi, de epizootiis ill. Bischoff. In practicis exercitationibus duces mihi fuere: in clinico propaedeutico ill. Fr. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico, in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis ill. Wutzer; in clinico obstetricio ill. Kilian, qui etiam in exercitationibus in phantomate instituendis mihi moderator fuit.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias habeo semperque habebo, quas possum maximas.

T h e s e s.

1. Thalami optici nihil ad visum faciunt.

2. Calor animalis a systemate nervorum dependet.

3. In operationibus chirurgicis ligatura arteriarum torsioni praeferenda est.

4. Cura ulcerum magis medicum quam chirurgum postulat.

5. Cura, symptomatica dicta, aut secundum nomen morbi, nunquam probanda.

6. Medicamenta specifica non sunt.

7. In morbis curandis diagnosis longe gravissima est res.

8. Diagnosis hydrocephali acuti incipientis semper ambigua.

9. Tubam Fallopianam, sectione caesarea facta, incidere, quod Blundell suadet, nefas est.

10. Consilium Michaëlis, perinaeum parturientium incidere, non imitandum.

11. In primiparis partus praematurus artificialis nunquam indicatus est.

12. Impotentia erroris cognoscendi certissimum insaniae signum.